

DE DONO LINGUARUM IN N. T., DISQUISITIO  
HISTORICO-EXEGETICA QUAM PRO OBTINENDO LECTORATU GENERALI  
COMPOSUIT P. JOSEF TRÉPAT I TRÉPAT, O. F. M.

PARS ALTERA: EXEGETICA (I)

*Quid de glossolalia doceat textus ipse sacer*

- I) IDENTITAS PHAENOMENI IN ACT. 2, ET I COR. 12-14.
- II) DE SENSU FORMULAE NEOTESTAMENTARIAE ἑτέρας γλώσσας λαλεῖν.
- III) PRODIGIUM ORIS, NON AUDITUS.
- IV) NON ERAT PRAEDICATIO, SED AD DEUM ORATIO.
- V) DONUM DEI SUPERNATURALE.
- VI) QUID ERAT PRO FIDELIBUS.
- VII) QUID ERAT PRO INFIDELIBUS.
- VIII) PENTECOSTES OPPONITUR BABELI.
- IX) ALIQUAE NOTAE PSYCHOLOGICAE.

Conclusio huius partis: definitio glossolaliae

Conclusio universae theses

*Praenotamen*

Quae sint praecipuae notae glossolaliae iuxta veteres scriptores in Parte priore vidimus. Nunc inquiri oportet quid concrete doceat textus ipse sacer, abstractione facta earum sententiarum quae a fonte non biblico promanarunt. Investigatio positive procedet, discussiones polemicas vitantes: diversae theoriae reiiciendae, breviter saltem, recensentur in operibus introductoriiis et commentariis in Actus et I Cor.

*Ab exegeta, quid textus sacer, potius quam quid de illo dictum sit est exquirendum.*

Textus qui in N. T. directe de glossolalia agunt, sunt: Mc. 16, 17 (2);

(1) Quan l'any 1925 em demanà la Direcció del F. P. C. col·laboració per l'*Anuari*, no em fou possible revisar tota la tesi; així en doní la primera part; dedicat el vol. II al Concili de Nicea, surt ara en el III vol. la segona part.

(2) Catholici de origine Marciana disputare possunt, non vero dubitare de canonicitate Mc. 16, 8-20. Cf. P. LAGRANGE, *Évangile selon S. Marc*, éd. 3<sup>e</sup> Paris, 1920, p. 426-39. — H. HÖPFL, *Intr... in s. U. T. libras*, v. III, p. 45 sq., Sublaci, 1922.

Act. 2; 10, 44-47 (11, 15-17); 19, 5-6; 1 Cor. 12, 10, 28, 30; 13, 1, 8; 14. Verum tamen quia plures sunt paralleli, vel saltem ad unum facile reduci possunt, postquam omnes illos accurato examine contuli, visum est non parum claritati profore si tota materia ad diversa puncta contraheretur, seu ad varias notas quas prae se fert glossolalia iuxta s. textum. Methodus haec non erit mere synthetica, quia iam praecessit examen uniuscuiusque textus priusquam aliis congereretur; et denuo fiet crisis analytica quandocumque opus fuerit.

I) IDENTICUM PHAENOMENON GLOSSOLALIAE HABETUR  
IN ACT. 2; 10-11; ET 1 COR. 12-14

*Status quaestionis.* — Agitur de identitate substantiali, non quoad puncta secundaria; i. e. probandum est an in utroque scripto biblico sit sermo de “*eodem charismate Sp. sancti, quo quis linguis loquebatur, et an hae linguae in eodem sensu sint intelligendae*”. Haec quaestio ante alias solvi debet; nam in casu identitatis, argui poterit ex utroque scripto pro quaestionibus sequentibus.

Hanc identitatem optime defenderat *Blass*, solis rationibus philologicis innixus: “De glossolalia locus classicus est 1 Cor. 14. Dicit Paulus semper λαλεῖν γλώσσαις, vel γλώσση, numquam ἑτέραις γλώσσαις; sed idem (l. c. v. 21) ad glossolaliam refert locum Isaiae 28, 11 sq.: ἐν ἑτερογλώσσοις καὶ ἐν χεῖλεσιν ἑτέρων (s. ἑτέροις) λαλήσω τῷ λαῷ τούτῳ; dicitque 12, 10, 18 γένη γλωσσῶν, ut 14, 10 γένη φωνῶν, i. e. variae linguae, et 13, 1 ἐὰν ταῖς γλώσσαις τῶν ἀνθρώπων λαλῶ καὶ τῶν ἀγγέλων, i. e. omnibus linguis quibus vel homines loquuntur vel angeli (Mc. 16, 17, γλώσσαις καιναῖς). Nihil igitur discriminis inter Paulum Lucamque, et recte hic ἑτέραις addit ut scriptor rerum (v. tamen 10, 46; 19, 6), omittit ille ut de re legentibus notissima.” [Apud KNABENBAUER, *Com. in Act. Apost.*, p. 48, Parisiis, 1899.]

Post quem E. LE CAMUS, *L'Oeuvre des Apôtres*, I, p. 20. Paris, 1891.

Sed rationes has philologicas ex ordine congeramus, ut clarius pateat in Act. 2 et 1 Cor. 12-14 agi de phaenomeno substantialiter identico.

A) Quoad Act. 2, 10, 44-47 (11, 15-17), 19: respective de casu Hierosolymitano, Caesariensi, Ephesino. Cellini (op. c. cf. *Anuari*, v. I, p. 85), incipit ab ultimo quin antecedentes respiciat, et concludit ibi non agi de glossolalia; similiter procedit quoad secundum, sc. Caesariensem. Auctor iste obliviscitur regulae exegeticae fundamentalis pro libris tum profanis tum sacris “locus secundarius ex insigniore, exillior ex uberiore, obscurior e clariore intelligendus est” (3); item videtur ignorare aliam regulam: “vocabulo tecnico non est

(3) SZÉKELY, *Hermeneutica biblica generalis*, Friburgi, 1902, p. 119.

significatio vocum originalis, etymologica vel communis attribuenda" (4). Profecto scriptor qui prima vice rem aliquam tractat, fusius scribit quam si de materia iam antea descripta; si igitur mentem eius inquiris, in loco primario quaeras oportet. Item, decursu eiusdem libri, auctor non utitur similibus phrasibus ad res plane diversas significandas; non ergo iisdem phrasibus sensum diversum tribui licet absque speciali ratione; a fortiori si contextus suadeat de re saltem cognata in illis pertractari.

His contra Cellini dictis, tres loci paralleli Actuum conferuntur.

In his textibus agitur:

1) de adventu Sp. sancti, 2, 4; 10, 44-45 (11, 15); 19, 6.

2) cuius adventus signum et effectus est "loqui linguis" (ib.).

3) nectitur cum receptione baptismi: in casu Hierosolymitano aequiparatur baptismi (1, 5); in Caesariensi baptismus sequitur, in Ephesino praecedit.

4) Per glossoliam laudes Dei celebrant: 2, 11, λαλούντων... τὰ μεγαλεία τοῦ θεοῦ; quod idem est ac 10, 46, λαλούντων... καὶ μεγαλυνόντων τὸν θεόν. In 19, 6 dicitur ἐλάλουν τε γλώσσαις καὶ ἐπροφήτευσον, sc. in sensu largo biblico, quod absolute potest significare: *Deum magnificare, praedicare*; saltem huic sensui affinis est *prophetia biblica*.

5) Ubique phaenomenon exprimitur characteristicam phrasi: γλώσσαις λαλεῖν.

6) Additio vocis ἐτέραις, in primo casu, 2, 4, erat oportuna, quia primo describitur prodigium, in sequentibus casibus non erat amplius necessaria (5).

7) In Act. 10, 44-47 (coll. 11, 15-17), Petrus aequiparat casum Caesariensem Hierosolymitano. Cellini (op. c.) obicit, "quoad receptionem Sp. sancti tantum modo". Sed unde socii Petri et Apostolus ipse noverant Cornelium et familiam recepisse Sp. sanctum? Prout in textu Lucae habetur, 10, 45-46, veritas adventus Sp. sancti demonstrata est per glossoliam: "ἐξέστησαν οἱ ἐκ τῆς περιτομῆς... ὅτι καὶ ἐπὶ τὰ ἔθνη ἡ δωρεὰ τοῦ ἁ. πνεύματος ἐκκέχυται ἡκούον γὰρ αὐτῶν λαλούντων γλώσσαις..." Ergo pro Petro eiusque sociis apud Cornelium identicum phaenomenon contigit ac in Coenaculo

Ergo in Act. 2, 10-11, 19, 1-7, agitur de identico phaenomeno glossoliae; ideo possunt conferri cum 1 Cor. 12-14 tres illi textus et ex eis indistincte argui.

(4) Ib., p. 54.

(5) In Act. 10, 46, addit ἐτέραις versio *sahidica*; item in 19, 6, versio *sahid.* et *peschito* in margine. — Textus occidentalis 19, 6, restituitur sic a FRID. BLASS, *Acta Apostolorum secundum formam quae videtur Romanam*, Lipsiae, 1896: "ἐλάλουν τε γλώσσαις ἐτέραις, καὶ ἐπεγίνωσκον ἐν αὐτοῖς ὥστε καὶ ἐρμηνεύειν αὐτὰς αὐτοῖς. τίνες δὲ καὶ ἐπροφήτευσον".

B) Act. 2 (et loc. par.) = I Cor. 12-14

## Act.

## I Cor.

1) agitur de dono Sp. sancti, 2, 4; 10, 45, 46; 19, 6.

2) agitur de varietate linguarum; in 2, 8-11, patet esse plures, saltem quot diversis illae gentes loquebantur. Semper adhibetur formula pluralis *loqui linguis*.

3) Est demonstratio seu significat praesentiam Sp. sancti: 2, 16 sq. 33; 10, 46.

4) Est oratio ad Deum: *loquentes magnalia Dei* 2, 11; *magnificantes Deum*, 10, 46.

5) Ubique phaenomenon eadem phrasi describitur: *loqui linguis*: 2, 4; 10, 46; 19, 6.

6) *Linguae aliae*, ἐτέραι, 2, 4: sc. diversae ab ea qua antea loqui solebant.

7) In Act. 2, 13 dicitur quosdam audientes subsanasse Apostolos et discipulos linguis loquentes.

1) item I Cor. 12, 8 (coll. v. 10).

2) Dicitur in plurali "loqui linguis", 14, 5, 6, 18, 23, 39; *genera linguarum*, 12, 10; *genera vocum*, 14, 10; *linguae hominum vel angelorum*, 13, 1; vel *linguae* in plurali (6), 13, 8; 14, 22.

3) 12, 7: φανέρωσις τοῦ πνεύματος... (7) (quod dicit de omnibus charismatis).

4) *Non hominibus loquitur sed Deo*, 14, 2; est oratio, v. 14; *psalmus*, v. 15; *benedictio et gratiarum actio*, v. 16, 17.

5) Sic etiam in 13, 1; 14, 5, 6, 18, 23, 39.

6) Etsi Paulus formulam integram *loqui aliis linguis* non adhibet, tamen idem vocabulum ἕτερος affert citans Isai. 28, 11: ἑτερογλώσσοις... καὶ χεῖλεσιν ἑτέρων: ubi propheta loquitur de assyriis (ergo de lingua diversa); et Paulus eis aequiparat glossolaliae Corinthi.

7) 14, 23 dicitur idem eventurum certis in casibus.

Cf. JACQUIER, *Le N. Test. dans l'Église chrét.*, vol. II, éd. 2<sup>e</sup>, p. 397, Paris, 1913. — Quod, etsi authenticum non est, insinuat vocem ἐτέραις, facile subintelligi, et absentiam eius non creare difficultatem.

(6) Nec obstat singulare *loqui lingua*, 14, 2, 4, quia ex v. 5, 6 etc. patet aequivalere plurali; ibi enim arguit ex supposito v. 2, 4, et tamen dicit pluraliter; item dic de v. 9; 13, cui opponitur v. 18 in plurali; de v. 19, 26, 27: in toto enim capite agitur de comparatione glossolaliae et prophetiae.

(7) In 14, 25 videtur Paulus supponere in sola prophetia haberi clarum indicium praesentiae (Dei) Sp. sancti. Sed notetur: 1) ibi opponi gradum perfectiorem prophetiae gradui inferiori glossolaliae, cum nemo sc. adest qui intelligat aut interpretetur. 2) nequit con-

*Ergo non videtur prudenter dubitari posse quin in utroque scripto de eodem phaenomeno glossolaliae agatur, quoad substantiam.*

Fatendum tamen, ut praemonui, differre quoad circumstantias et secundario: vg.

Act. 2

I Cor.

1) glossolalia describitur ut factum semel eventum, et quidem narratur modo historico.

2) plures, immo maxima pars (videtur) audientium intellexerit discipulos glossolalos.

1) glossolalia supponitur sat communis inter fideles Corinthi; et theoretice de ea disseritur.

2) supponitur audientes ordinarie non intelligere, absque interpretatione.

Sed in Act. 2, aderat turba ex diversis linguis et nationibus; de ecclesia vero Corinthi idem nequit probari.

## II) DE SENSU FORMULAE NEOTESTAMENTARIAE ἘΤΕΡΑΙΣ ΓΛΩΣΣΑΙΣ ΛΑΛΕΙΝ

In Mc. 16, 17 dicitur γλώσσαις λαλήσουσιν καιναῖς, in Act. 2, 4, λαλεῖν ἑτέραις γλώσσαις; Act. 10, 46 λαλούντων γλώσσαις: eadem formula absque adiectivo habetur Act. 19, 6; I Cor. 12, 30; 13, 1; 14, 5, 6, 18 (19), 23, 39; in singulari λαλεῖν γλώσση I Cor. 14, 2, 4, 13, (26), 27.

Sed cum ex praecedente quaestione constet in omnibus his locis agi de identico phaenomeno (8), sufficet investigatio philologica in formulam completam Lucae (Act. 2, 4):

λαλεῖν ἑτέραις γλώσσαις.

Hanc phrasin tota Traditio intellexit de vera locutione in linguis peregrinis, glossolalo usque tunc ignotis (Cf. *Anuari*, vol. I, p. 113.)

Rationalistae vero, quia haec interpretatio supponit elementum super-

traire 12, 7-11 ubi illud asserit in genere de omnibus charismatis. Est ille hebraismus quo ponitur absoluta negatio vel assertio pro diverso gradu eiusdem assertionis vel negationis: cf. Mal. 1, 2-3.

(8) In Mc. 16, 17, agi de eodem phaenomeno (quomocumque illud intelligatur), concedunt vix non omnes; revera ibi Iesus promittit fidelibus varia *signa*, quae omnia vel ex s Scriptura vel Historia Ecclesiae concessa fuisse conspicimus; si ergo admitti debet illud *loqui linguis novis*, aliquando fuisse impletum, sicut et alia *signa* promissa, nec Historia Apostolica nec Ecclesiae primaevae aliud factum novit cui comparari possit praeter illud in Act. 2 (cum 1. par.) et I Cor 12-14 narratum. Illud καιναῖς in Mc. 1. c., nequit igitur notare nisi *linguas usque tunc glossolalo ignotas*, seu *novas* relative ad ipsum; non obiective, quasi de linguis plane usque tunc inusitatis, vel tunc adinventis.

naturale, varias explicationes naturalisticas confingunt, quae ad duplex caput reduci possunt :

1) *Loqui lingua*, sc. balbutire, sicut infantes qui *membra loquelae* nondum expedita habent, et loqui perfecte nesciunt; et fortasse glossolali miscebant aliqua verba aramaica, graeca, hebraeo-biblica, etc. : sic Meyer, Eichhorn, Baur, de Wette, Ewald, Hilgenfeld, K. Schmidt, etc.

2) Sermo esset locutio archaica, obsoleta, similis oraculis delphicis, etc. : sic Bleck, Heinrichi, Schürer (9).

Quibus accedere videntur nonnulli catholici, inter quos A. Cellini, qui scilicet in Act. 2, et non necessario, admittit agi locutione in linguis peregrini (Cf. *Anuari*, I, p. 85-86.)

*Voces* λαλεῖν, γλώσσα, ἕτερος, in scriptis biblicis (10).

Λαλέω : vox imitativa ex infantulis balbutientibus λὰ λὰ : unde

1) antiquitus significabat *garrere*, loqui imperfecte, absque distinctione sonuum; metaphorice etiam dicebatur de animalibus; sed

2) in LXX aequivalet simpliciter latino *loqui*, quin amplius servetur illa notio primaeva *garrendi*, *balbutiendi*, etc. ; ultra 800<sup>es</sup> adhibetur pro heb. דַּבֵּר, אָמַר; et, minus frequenter pro שָׁחַב, מָלַל, נָבַא, נָגַד, סָפַר, פָּגַע, צוּחַ, קָרָא et יָיַב,

3 Neque in N. T. servatur amplius illa primitiva notio; et adhibetur pro *loqui*, *dicere* :

a) *de personis*, Ioh. 1, 37; 7, 46; 8, 30, 38; Lc. 5, 4; Act. 6, 10; 16, 17; 1 Cor. 14, 34, 35; 1 Pet. 4, 11, etc.; *de vaticiniis* prophetarum V. T. : Lc. 24, 25; Act. 3, 24; 26, 22; 2 Pet. 1, 21; Iac. 5, 10, etc.; *de oraculis* angelorum vel Sp. sancti : Lc. 2, 17, 20; Ioa. 12, 19; 16, 13; *de rebus inanimatis*, sed tanquam personificatione Dei, Chti. vel spirituum : Heb. 11, 4; 12, 24; Apoc. 4, 1; 10, 4, etc.

b) dicitur intransitive, absque specificatione rei dictae: ut actus mere physiologicus, Mt. 9, 33; 15, 31; Mc. 7, 37; Lc. 11, 14; Apoc. 13, 15; in sensu diserendi, verba faciendi, de aliqua re: Mt. 10, 20; 17, 5; 26, 47; Lc. 5, 4; Act. 4, 1, etc.

Ergo neque ex LXX, neque ex N. T. iustificatur illa significatio *garrendi*, *balbutiendi*; nec alia sese verbis obsoletis, archaicis, exprimendi.

Γλώσσα : 1) est membrum corporis, instrumentum loquelae: Mc. 7, 33; Lc. 16, 24; Iac. 3, 5, 8; Apoc. 16, 10; vel ipsa facultas loquendi: Mc. 7, 35; Lc. 1, 64.

2) sermo peculiaris alicuius gentis, vel character distinctivus nationali-

(9) Cf. BRASSAC, *Manuel Biblique*, v. IV, éd. 13, p. 48 sq., 286 sq. — P. PRAT, *La Théologie de S. Paul*, v. I, éd. 8, p. 503; et commentarios.

(10) Cf. pro hac quaestione: HATCH and H. A. RBDPATH, *A Concordance to the Septuagint and the other greek versions of the O. T.*, Oxford, 1892-97. — GRIMM, CAR. LUD., *Lexicon graecolatinum in libros N. T.*, éd. 4, Lipsiae, 1903. — ZORELL, *N. Testamenti Lexicon graecum*, Parisiis, 1911.

tatis, simul cum ἔθνη, λαος, φυλῆ: Gn. 10, 5, 20, 31; Iudith 3, 8; Isai. 66, 18; Dan. 3, 2, 4, 7, 29, 31; 5, 19; Zach. 8, 23; Apoc. 5, 9; 7, 9; 10, 11; 13, 7; 14, 6; 17, 15, etc.

Sed in nostra phrasi *loqui linguis aliis*, primus sensus nequit componi cum adiectivo ἕτερος (nec cum καινός Mc. 16, 17), quomodocumque hoc sumatur; nec cum usu biblico vocis λαλεῖν, cui coniungitur. Remanet ergo sensus secundus solus admittendus, etiam si abstrahas ab aliis rationibus infra addendis.

\* Ἐτερος: LXX vertunt hac voce verba heb. פֶּן תִּתֶּן שְׂמִיךָ לְיָדְךָ לְבַרְכָּךָ In N. T. dicitur: 1) de *numero*, i. e. pro *alio*: Mt. 6, 24; 11, 3; Lc. 5, 7; 7, 41; 14, 31; Act. 1, 20; 7, 18; 15, 35; 23, 6; 1 Cor. 10, 24; Rom. 2, 1, 21; 13, 8, etc. 2) de *qualitate*, i. e. diversus genere, forma: Mt. 12 45; Mc. 16, 12; Lc. 6, 6; 9, 56; 11, 26; Act. 2, 40; 4, 12; 2 Cor. 11, 4; Gal. 1, 6, etc.

(Classici dicunt generatim, in primo sensu, ἄλλος.)

Pro nostro casu, uterque sensus ad idem redit; si glossolalus loquebatur *alia* lingua, haec nequibat non esse *diversa* a sua.

Λαλεῖν, γλώσσαις vel γλώσση:

Raro invenitur in LXX, sc. ps. 38, 3, ἐλάλησα ἐν γλώσση μου; ps. 108, 2, ἐλάλησαν κατ' ἔμοῦ γλώσση δολία; Isai. 19, 18... ἔσονται πέντε πόλεις ἐν Αἰγύπτῳ λαλοῦσαι τῇ γλώσση τῇ Χαναανείτιδι...; Isai. 36, 11... λάλησον πρὸς τοὺς παῖδας σοῦ Συριοσί... μὴ λάλει πρὸς ἡμᾶς Ἰουδαϊστί; Isai. 28, 11, (iuxta correctionem per textum heb. de qua infra): διὰ γλώσσης ἐτέρας λαλήσουσιν τῷ λαῷ τοῦτῳ (Sirach, prologo, v. 14: ὅταν μεταχθῆ εἰς ἐτέραν γλώσσαν).

Iam vero in ps. 38, 3 idem est ac *loqui*; in ps. 108, 2, *loqui dolose*: hoc clare patet per additionem possessivi μου, vel adiectivi δολία. Sed in Isai. 11. cit. agitur de locutione in lingua peregrina, ut chanaeae pro aegyptiis, aramaica et assyriaca pro iudaeis tempore Isaiiae viventibus. Item in Sirach, l. c. agitur de versione scripti hebraici in linguam graecam, vel, in genere, in aliam linguam.

Si ergo cum illis duabus formulis, ultimo loco positis, comparatur, nullum dubium quin phrasis *loqui linguis aliis*, ἐτέραις, de idiomate peregrino intelligi debeat; alii duo loci Isaiiae cum iam nominentur linguae peregrinae, nullam dubitationem relinquunt.

*Hunc esse sensum* genuinum formulae λαλεῖν ἐτέραις γλώσσαις suadent et confirmant aliae rationes exegeticae ex contextu petitae:

a) Paulus, 1 Cor. 12-14, supponit et saepe expresse assertit glossolum non intelligi nisi ope interpretationis linguarum, quae est et ipsa charisma Sp. sancti: ib. 12, 10, 30; 14, 5, 13, 26-28: ἐρμηνεῖα, διερμηνεύω, διερμηνεύτης. In LXX adhibetur verbum simplex ἐρμηνεῖα, ἐρμηνεύω, (semel διερμηνεύω)

νεύω. 2 Mach. 1, 36) et habetur septies: Gn. 42, 23; 2 Esdrae, 4, 7; Esth. 10, 11; Job. 42, 18; Dan. 5, 1; Sirach, prol. v. 14; 47, 17. Praeter Sirach, 47, 17, ubi videtur idem esse ac *explicatio*, in omnibus aliis locis agitur de propria interpretatione unius linguae in aliam peregrinam, i. e. stricta versione quando in textu vel contextu sermo est de linguis; simile quiddam servatur in N. T.: vg. Mt. 1, 23; Mc. 5, 41; Ioa. 1, 38, 41, 42; 9, 7; Act. 9, 36; 13, 8; Heb. 7, 2, etc.

b) Agitur de locutione 1) prolata, externa, in se sensum habente; 2) et tamen saepe inintelligibili. *Primum constat* a) ex verbo ἀποφθέγγεσθαι (Act. 2, 4), *profari, pronuntiare*, “valet (enim) proprie einem Anspruch thun, sich vernehmen lassen, diciturque tum de vatibus... tum de sapientibus et philosophis... quorum dicta ἀποφθέγματα vocarunt Graeci (Cic. Off. 1, 29);... quae illustri illo Pentecostes die christiani et maxime Petrus proferebant spiritu divino incalescentes, Act. 2, 4, 14; tum vero quae Paulus de ἀποκαλύψει κυρίου sibi facta regi Agrippae apperuit, Act. 26, 25, ἀποφθέγγεσθαι narrantur” (11). β) ex variis comparationibus quibus utitur Paulus, loquens de glossolalis: vg. 1 Cor. 13, 1, *aes sonans, cymbalum tinuens*; comparatur *tibiae, citharae, tubae*, ib. 14, 7 sq.; sunt sicut *in aëra loquentes; barbari*, relate ad alios quibuscum locuntur, ib. γ) est vera locutio, proprium sensum habens: 1 Cor. 14, 3, *loquitur mysteria*; v. 13-17 est *oratio, psalmus, gratiarum actio, benedictio*; v. 19, verba glossolali sunt λόγοι, sicut verba doctoris; opponitur verbo σιγᾶν, tacere, v. 28.

*Secundum*, sc. esse tamen locutionem saepe inintelligibilem, patet ex 1 Cor. 14, 2, 5, 7-11 (varia exempla); ideo necessaria interpretatio, v. 13; opponitur locutio intelligibilis facta τοῖς, locutioni factae ἐν γλώσση, v. 19.

Cum agatur de locutione externa, articulata, sensum in se habente, nulla explicatio sufficiens dari videtur, nisi admittas talem locutionem factam fuisse in lingua peregrina, audientibus ignota.

c) Citatio Isaiae, 28, 11 (1 Cor. 14, 21): Paulus aequiparat glossolaliam Corinthi *signo glossolaliae* nuntiato ab Isaia, et ex illo arguit et sequelas deducit pro corinthiis, v. 23; in Isaia vero agitur certe de lingua peregrina, sc. assyriaca.

d) Ex Act. 2, 6-12 patet saltem ibi discipulos locutos fuisse diversis linguis peregrinis: turba, *ex omni gente quae sub coelo est*, congregata, testatur se audire discipulos loquentes linguis originariis ipsius turbae; etsi non in omnibus constet quaenam sint illae, tamen admitti debent: graeca (forsitan latina), arabica, persica, etc. (12).

(11) WINER, *De verborum cum praepos. compositorum in libris N. T. usu*, Lipsiae, 1834-42, program. 4, p. 16 [GRIMM, *op. cit.* h. v.].

(12) Cf. CRELLIER, *Actes des Apôtres*, p. 20-21, Paris, 1898. — A. CAMERLYNCK, *Comm. in Actus Apost.*, éd. 6, p. 124, Brugis, 1910; etc.



Ergo, ex philologia biblica, ex contextu et locis parallelis constat phrasim ἑτέραις γλώσσαις λαλεῖν de linguis peregrinis intelligendam esse.

### III) PRODIGIUM ORIS, NON AUDITUS

Inquiritur utrum glossolali ipsi proferrent verba idiomate peregrino, an potius "evangelica doctrina propria lingua [apostolorum, aramaica vel graeca] prolata, ad omnem auditum eandem efficientiam obtineret, ut graecis et barbaris omnibusque gentibus verbum Evangelii esset intelligibile ac si in eorum auribus linguae in qua nati erant idiomata resonarent" (12), paucis verbis: *fuitne prodigium glossolaliae in ore apostolorum, vel in solis auribus audientium?*

Fatendum est hanc ultimam theoriam inter Patres et veteres scriptores receptam non fuisse; quin imo aequivalenter reiectam; eorum dicta omnino primam praesupponunt et proclamant: quam unanimem sententiam nequeunt infirmare dicta *Ernaldi* Bonavallensis et Bedae (14).

Haec Patrum sententia satis fundata in sacro textu apparet:

1) Act. 2, 4, discipuli incipiunt loqui linguis antequam turba conveniret, v. 6; v. 2-4, indicant in textu Lucano actionem continuam, quam probant quinque aoristi successivi, per καὶ omnes coniuncti.

2) Ipsa turba congregata certa est discipulos revera loqui linguis peregrinis, v. 6-8, 11. — In v. 6, 8, *propria dialecto*, sc. audientium, ut patet ex v. 11: "audimus [audivimus, Vg.] eos loquentes nostris linguis magnalia Dei". Et quidem mirantur, cum discipuli sint ex unica natione Galilaea, ipsi autem "ex omni natione"; in theoria contraria nihil referret an discipuli sint ex unica vel variis nationibus.

3) Act. 2, 13, vix intelligitur in alia sententia, quae supponere debet etiam illos irrisores audire et intelligere quid discipuli dicebant: sed si intelligebant "eos loquentes magnalia Dei", nescio quare in eis id ironiam excitaret. E contra, si admittas *prodigium* oris, et audientes de quibus in v. 13, non intelligere quia Vg. nullus eis occurrit qui eorum lingua loqueretur, facile apparet quare discipulos irriderent, quia sc. audiebant eos verba proferentes, quae ipsi non intelligebant. Idem dic de 1 Cor. 14, 23.

4) Donum linguarum semper connectitur cum receptione Sp. sancti: Act. 2, 4; 10, 44-46; 19, 6; 1 Cor. 12, 4-10: sed in theoria contraria prodigium non esset amplius in glossolalo, sed in audientibus, licet textus dicat illum, non istos, recipere Sp. sanctum. Hanc difficultatem iam senserat *Greg. Nazianzenus*, ideo communem sententiam retinuit. Insuper, Mc. 16, 17-18,

(12) ERNALDUS BONAV., de quo cf. Partem priorem, n° 34.

(14) De quibus cf. Partem priorem, n° 30, 34; et Conclusionem.

I Cor. 12, 4-10; 14, 26, omnia alia signa et charismata, ipsi individuo cui attribuuntur, dicuntur inhaerere, non aliis pro quibus dantur: sic potestas sanandi, futura nuntiandi etc.; ergo a pari idem dicatur oportet de glossolalia.

5) Phrasis technica qua prodigium ubique designatur, *loqui linguis*, ineptissima foret, si "donum intelligendi in propria lingua quae in diversa proferuntur voluerit auctor significare".

6) In I Cor. 14, asseritur passim audientes non itelligere nisi ope interpretationis: 14, 2, 5, 6 (7-11), 13, 16, 17, 19, 27, 28. Sed in theoria contraria, supponitur audientes semper intelligere nec interpretatione indigere. Quid ergo? Nullum effugium, nisi negetur in I Cor. 12-14, agi de identico phaenomeno glossolaliae ac in Act. 2 (et l. par.): quod sic accidisse videas in Introductione Partis prioris.

#### IV) GLOSSOLALIA NON ERAT PRAEDICATIO SED ORATIO AD DEUM

Scimus ex historia ecclesiastica adfuisse plures sanctos, potissimum praedicationi incumbentes, qui donum linguarum dicuntur accepisse eo scopo ut facilius gentes extraneas edocerent et ad Christum converterent. Sed a priori non licet inferre rem simili modo exstitisse quoad apostolos et primos Evangelii divulgatores, ut scribit *Corluy*, op. c. qui tamen fatetur nullum argumentum biblicum adduci posse.

Si vero documenta biblica sola inspiciantur liquet:

A) *nullimode* posse probari glossolaliam concessam *fuisse ad praedicandum*,

B) e contra probari, fuisse *orationem ad Deum*.

De facto non erat necessaria ad praedicationem; nam in toto Imperio Romano adhibebatur lingua graeca, imo in ipsa Palaestina sat diffusa erat postquam in ditionem romanam venit (15). Sic factum est ut excepto Evangelio Mt. in prima redactione, integrum N. T. graece conscriberetur. Denique, nusquam scripta biblica memorant apostolos in sua praedicatione usos fuisse variis linguis; semel tantum, Act. 21, 40, scribitur Paulum hebraice (respective *aramaice*) locutum fuisse: quae lingua ab infantia ei nota erat. Nec graecam linguam, necessario ex speciali dono accepisse tenendum est; nam in Palaestina, ut monui, satis vulgata erat; insuper satis imperfecte eam scri-

(15) CICERO, *Or. pro Archia poeta*: "Graeca [scripta] leguntur in omnibus fere gentibus, Latina suis finibus, exiguis sane, continentur". De diffusione linguae graecae in Palaestina (et Imperio Romano), cf. FELTEN - BONGIOANNI, *Storia dei tempi del N. T.*, Torino, 1913-14, v. I, p. 47 sq., 334; v. IV, p. 12, 112, 24. — A. CAMERLYNCK, *Com. in Act.*, ed. 6, p. 83-85.

bunt, dum Lucas elegantiori stylo utitur, de quo tamen nullibi dicitur glossolalum fuisse.

## A) NON FUIT PRAEDICATIO

a) Sunt plures textus qui vix componi possunt cum *praedicatione*:

1) Act. 2, 4, locuntur linguis statim ac. Sp. sanctum acceperunt, antequam mentio fiat de turba; neque obstat verbum λαλέω, quia nisi sequatur dativus vel πρὸς c. accus., aut in contextu nominati sint audientes, nihil aliud significat nisi *verbe proferre*, quin relationem, ad audientes includat; idem dic de verbo ἀποφθέγγεσθαι, quia ex se non indicat nisi *gravitatem dictionis, oraculum*, quin alludat aut supponat auditores, ut esset, v. g. κερύσσω, κατηχίζω, κ. τ. λ. In v. 14 ἀποφθέγγεσθαι dicitur de praedicatione, sed expresse additur αὐτοῦς, et sequitur oratio ad plebem.

2) Quoties occurrit phrasis *loqui linguis*, omittitur dativus vel πρὸς c. accusativo; et nullibi dicitur respectum haberi ad audientes: Act. 2, 4 (et l. p.); 1 Cor. 14, 5, 6, 18, 23, 39.

3) Act. 2, 14 sq.: Petrus *praedicat* ad plebem; sed ex tunc nulla mentio fit glossolaliae; supponendum est ergo usum fuisse lingua aramaica vel graeca, illis iam notis.

4) Act. 10, 46; 19, 6: ad quid esset praedictio? Num Petrus eiusque socii in primo casu, in secundo Paulus indigebant doctrina neophytorum?

5) In 1 Cor. 14, prophetia opponitur glossolaliae: sed prophetia biblica, et ut ibi describitur, non tam differt a sacra praedicatione; hanc saltem includit, v. 3: ergo glossolalia non esset praedictio.

b) Textus qui evincunt glossolaliam non esse praedicationem:

*Glossolalus*: 1 Cor. 14: v. 2, 28, "non loquitur hominibus, sed Deo et sibi ipsi".

—v. 2, 16, "nemo eum intelligit"; v. 2, "loquitur mysteria".

—v. 4, "seipsum aedificat", non alios, v. 17, 27-28.

—v. 5, "si interpretatur (ipse vel alius) quae dicit, non erit inferior propheta"

—v. 6, 26, "opponitur illi qui loquitur in revelatione, scientia, prophetia, doctrina: quae solae aedificant".

—v. 7-11, "est sicut cithara vel tuba, quae si distinctum sonum non det, nescitur quid sibi velit: ita glossolabus deficiente interpretatione; sicut qui in aera loquitur, et ut barbarus ei cui loquitur".

—v. 19, "ex se solo non inservit ad alios edocendos".

Quae omnia repugnant omnino *praedicationi*.

## B) GLOSSOLALIA ERAT ORATIO AD DEUM

1) Act. 2, 11: spectatores audiunt glossolalos λαλούντας... τὰ μεγαλεία τοῦ θεοῦ; quod idem est ac Act. 10, 46, ἤκουον αὐτῶν λαλούντων... καὶ μεγαλυνόντων τὸν θεόν (= "audiebant eos magnificantes Deum", vel, "noverant eos Dei magnalia celebrare"). Μεγαλύνω: α) in sensu proprio, de re materiali significat: ampliare, magnum facere (pass. fieri): 1 Sam. 2, 21; 3, 19; Mt. 23, 5 — sensu mettaphorico: illustrem gloriosum reddo: Lc. 1, 58. β) sensu psychologico: magni aestimo, laudibus extollo, gloriosum dico, celebros: Lc. 1, 36; Act. 5, 13; 19, 17; Philip. 1, 20; Cf. LXX (fere exclusive de Deo), ps. 33, 3; 34, 27; 39, 16; 68, 30; 69, 4; Mal. 1, 5.

Ut patet, solus sensus psychologicus hic convenit, i. e. laudes Dei celebros, Deum laudo.

2) 1 Cor. 14, 14: glossolalia est *oratio*, προσεύχομαι, in spiritu, quam mens, νοῦς, non percipit. v. 15: est *psalmus*; ψαλῶ; v. 16: est *benedictio*, εὐλογῆς, et gratiarum actio, εὐχαριστία, quam alii homines intelligere non valent. Iam vero προσεύχομαι ubique significat preces fundere, rogare: Mt. 5, 44; 6, 5, 6; 14, 23; 24, 20; Mc. 1, 35; 13, 18; 14, 35, 38; Lc. 6, 28; 18 11; 22, 40 etc. Ψαλλεῖν, nisi significet vellere, intendere (arcum, etc.) quod certe huc non spectat, notat semper. α) fidibus canere: 1 Reg. 16, 23; ps. 32, 2; β) hymnum sacrum Deo dicere: Rom. 15, 19 (ex ps. 17, 50); Iac. 5, 13; cf. in LXX Iudith, 5, 3; ps. 7, 17; 26, 6; 29, 30. Εὐλογεῖν, respondet heb. פָּרַח : si obiectum est Deus, idem est ac laudare, celebrare: Mt. 14, 19; Mc. 6, 41; 14, 22; Lc. 1, 64; 2, 28; 24, 53. Εὐχαριστεῖν significat gratias agere pro beneficio colato: Mt. 15, 36; 26, 27; Mc. 8, 6; 14, 23; Lc. 17, 16; 18, 11; Rom. 16, 4; Philip. 1, 3; Col. 1, 3, 12; 3, 17, etc.

Ergo προσεύχομαι, ψαλλεῖν, εὐλογεῖν, εὐχαριστεῖν, unice de *oratione* dici possunt. Sic de facto, saepe simul connexa apparent apud ipsum Paulum: ψαλλεῖν et εὐχαριστεῖν, Eph. 5, 19-20; προσευχή et εὐχαριστία, Philip. 4, 6; 1 Thess. 1, 2; 5, 17-18; 1 Tim. 2, 1; 2 Tim. 1, 3 (ad sensum); Philem. v. 4.

OBSCURITUR: 1) In 1 Cor. 12, 7 dicuntur charismata "*manifestatio Spiritus ad utilitatem*": quod melius praedicationi quam orationi aptatur. *Respondeo*: habetur etiam utilitas in nostra sententia: fideles certi fiebant in glossolalo adesse Sp. sanctum, ex qua praesentia solatium capiebant; accedente insuper interpretatione "*aedificabantur*" sicut fere de prophetia, cf. 1 Cor. 14, 5, 27-28.

2) Multi Patres asserunt, vel clare supponunt, glossolaliam datam fuisse

*ad praedicandum. Resp.:* concedo et citatos habes ad Conclusionem Partis Prioris (Cf. *Anuari*, vol. I, p. 113.)

Sed supponunt id fuisse revera necessarium ut apostoli intelligerent et intelligerentur a fidelibus ex gentibus conversis; nusquam tamen in huiusmodi assertionibus adducunt textum aliquem biblicum vel ex eo arguunt; neque in Traditionem hanc sententiam refundunt.

En eorum dicta. (Cf. textus integros in Parte Priori, nn. propiis).

*Greg. Nyssenus:* "...tunc quidem multum profuit, apostolorum vocem aliarum gentium linguis aptari, ne praeconum linguam ignorantibus, Evangelii promulgatio in cassum fieret; *nunc autem quoniam una eademque lingua utimur*, igneam debemus Spiritus linguam exquirere..."

*Chrysostomus:* "...qui nonnisi unam linguam habebat, nempe iudaeicam, quomodo Scytham, Indum et Sauromatam docere potuit? Accepto nempe per Sp. sanctum linguarum multarum dono". (Sed Scriptura nihil dicit de evangelizatione horum populorum; insuper Paulus, extra Palaestinam natus, ipse saltem, graeca lingua callebat.)

*Hieronymus:* "...quod magis necessarium erat, diversitatem linguarum omnium gentium [acceperunt apostoli], ut anuntiaturi Christum nullo indigerent interprete".

*Thomas:* "... non erat conveniens ut qui mittebantur ad alios instruendos, indigerent ab aliis instrui qualiter aliis loquerentur, vel qualiter quae alii loquebantur, intelligerent".

Ad haec dici potest: 1) non constringimur hac sententia satis communi Patrum; non agitur de rebus fidei vel morum; nec dici potest sententia exegetica, cum in nullo textu biblico eam fundent, sed solum in supposita necessitate plurium linguarum ut intelligerentur a fidelibus, cum constet tunc in toto Imperio Romano linguam graecam diffusam fuisse, imo in ipsa Palaestina.

2) Auctores N. T., qui data occasiones scribunt unico scopo edocendi fideles, certe scripserint lingua fidelibus nota: scribentes autem fidelibus (alii aliis) dispersis per totum Imperium Romanum unica lingua utuntur, nempe graeca, si excipias primam redactionem aramaicam Mt. quae tamen cito periit.

## V) GLOSSOLALIA EST DONUM DEI SUPERNATURALE

Haec assertio fuit ex q. II, i. e. ex ipsa natura phaenomeni, ut in dicta q. explicata fuit; nam improvise lingua ignota absque ulla praeparatione, naturae non tribuitur. Quod vulgo dicitur de ebriis, linguis peregrinis uti, numquam probatum est: hoc certum est, etiam rectum usum propriae linguae amittere.

Tamen probandum erat, ne disquisitio in aliquo videretur deficere; maxime cum nonnulli auctores catholici ita rem explicaverint ut supernaturale elementum vix appareat. Sententiam hac de re unanimem inter Patres videas ad Conclusionem Prioris Partis.

*Probatur ex textu biblico:*

1) Mc. 16, 17-18: inter varia *signa* quae credentes comitabuntur, habetur glossolalia; cum alia signa sint miraculosa et Dei dona, idem a pari dicendum de nostro charismate; item in I Cor. 12, 1 sq.; 14, 26.

2) Act. 2, 4: describitur glossolalia ut consecrarium et signum receptionis Sp. sancti: deinde expresse asseritur eos "loqui linguis *prout*, καθῶς, secundum mensuram quam Sp. sanctus concedebat eis, ἐδίδου (*impf.*, de actione continuata).

Pro sensu καθῶς cf. Mc. 4, 33; I Cor. 12, 11, 18; 15, 38; I Pet. 4, 10. Τὸ πνεῦμα certe identicum est cum proxime praecedente τὸ πνεῦμα ἅγιον; etiam τὸ πνεῦμα (absque ἅγιον) pro tertia Persona divina: Mt. 12, 31; Mc. 1, 10, 12; Lc. 4, 1, 14; Ioa. 1, 32; 3, 34; 7, 39; Act. 8, 29; 10, 19; 11, 12, 28; 20, 22; 21, 4; Rom. 15, 30, etc.

3) Turba nesciebat rem naturaliter explicare, Act. 2, 6-8, 12; eisque Petrus rem ut effusionem Sp. sancti a Ioële pro aevo Messianico praenuntiatam exponit, ib. v. 16 sq. In v. 33 τοῦτο ὃ βλέπετε... est vel Spiritus, πνεῦμα, qui praecedit, vel prodigium ipsum, ut res indeterminata: in utroque casu agitur de dono supernaturali, e coelo a Iesu dato: "ad dexteram Dei exaltatus... effudit hoc (vel hunc quem) quod videtis et auditis"; (et advertas, Sp. sancti praesentiam non demonstrari, βλέπετε καὶ ἀκούετε, nisi per phaenomenon glossolaliae).

4) Act. 10, 44-46: apud Cornelium Caesariensem, iudaeochristiani socii Petri, mirantur et obtupescunt "quia et in nationes gratia, ἡ δωρεὰ, Spiritus s. effusa est"; et addit Lc.: "audiebant enim illos loquentes linguis". Igitur iuxta Lc. glossolalia erat effectus externus et signum praesentiae Sp. sancti; haec intima connexio notatur etiam in Act. 19, 6.

5) I Cor. 12, 4-6: varia charismata ab uno Deo procedunt "qui operatur omnia in omnibus"; v. 8, 10: "alii dantur (per Spiritum) genera linguarum", omnia haec dona "operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis, διαίρων ἰδίᾳ (sponte sua), prout vult", v. 11; in v. 28: "et quosdam quidem posuit Deus... apostolos... genera linguarum".

6) Tandem, ut argumentum generale, addi potest: Paulus, I Cor. 14, tot ac tanta congerit probaturus glossolaliam inferiorem esse prophetia; satis fuisset illam ut rem mere naturalem definire. (Iuxta aliquos, I Cor. 14, 2, "in Spiritu" accipiendum esset de Spiritu s.; tunc clare dixisset Paulus glossola-

lum moveri a Spiritu sancto; sed collatis v. 14-16 patet agi de *parte affectiva animae*, opposita τῷ νοῖ, *menti*, seu *parti intellectivae*.]

## VI) QUID ERAT PRO FIDELIBUS?

S. Paulus, 1 Cor. 12, 7, definit charismata “ἡ φανέρωσις τοῦ πνεύματος πρὸς τὸ συμφέρον”, “manifestatio Spiritus ad id quod est utile, ad utilitatem”; praecipua charismata, inter quae glossolaliam, recenset v. 8-10: de quam utilitate agat, fusius exponit in toto capite inde a v. 12; i. e. data sunt ad aedificationem Corporis mystici Chti, coetus fidelium (16). Sic vix non omnes explicant scopum directum et primarium charismatum; admittitur autem, posse conferre indirecte et secundario ad aedificationem ipsius individui recipientis.

Scopus glossolaliae nequit differe a scopo aliorum charismatum; videamus ergo quomodo: a) sit manifestatio Spiritus s.; b) ad utilitatem Communitatis directa; c) etiam indirecte ipsius individui recipientis.

Ad a): Glossolaliam esse signum praesentiae Sp. s. scribunt Patres: Chrys. (17), ps. - Oecumenius, Aug., Leo M., Theophilactus, Fulg. Rusp., etc. (quorum textus videas in propriis locis Partis Prioris). — Quid textus sacer dicat, notavi in q. praecedente, V, praesertim num. 2-4.

Ad b): Quamvis in genere, dicit Paulus, utiliorum esse coetui fidelium prophetiam prae glossolalia (18), excipit casum quo adsit interpret, 1 Cor. 14, 5; tunc Communitas “aedificationem accipiet” veluti in prophetia; item, a pari,

(16) Cf. etiam de utilitate charismatum in genere, Rom. 12, 4-8; Eph. 4, 8 sq.; Heb. 2, 4.

(17) In 1 Cor. hom. 29: “...baptizati statim Spiritum accipiebant, Spiritum vero non videbant, invisibilis cum sit; dabat gratia sensibile quoddam argumentum illius operationis; aliusque Persica, alius Romana... lingua loquebatur; et hoc externis notum faciebat Sp. sanctum in ipso loquente esse”.

(18) Pro nostro scopo sufficiet resumere argumentationem Pauli, 1 Cor. 14, qua demonstrat excellentiam prophetiae super glossolaliam. Prophetiam sumit in sensu largo biblico; e contra supponit ordinarie glossolalam non intelligi, et dono interpretationis saepius carere.

### 1 Cor. 14

*Glossolalus*: Deo soli et sibi loquitur, non aliis; ideo Ecclesiam non aedificat, v. 2, 4; imo nec mens eius utilitatem capit, deficiente interpretatione, v. 14. Variis exemplis probat nulli prodesse, absque interpretatione, 6-11; quae si accedat, glossolalus non est dicendus inferior propheta, v. 5.

Glossolalia datur pro infidelibus, v. 22; — potest certis in casibus provocare irrisiorem infidelium, v. 23.

Ideo, ratione maioris utilitatis docet, Paulus prophetiam esse praefendam nuda et simpliciter glossolaliae, v. 1, 5, 19.

*Propheta*: Alios aedificat, hortando, docendo, v. 3, 4.

— Prophetia datur pro fidelibus, ib.;

— prophetia optime inservit conversioni infidelium, v. 24-25.

cum fideles audientes intelligant glossolalum, quia nempe ipsorum lingua loquatur. Idcirco hortatur Paulus ut postulent corinthii donum interpretationis, v. 13; deficiente autem interprete, glossolalus taceat in publico coetu; non quia prorsus inutilis, sed quia, cum non intelligatur, aliquid miri prae se fert pro catechumenis et infidelibus qui forte concurrerint; hunc scopum ordinandi ipsos coetus conspicerere fas est in toto capite, v. 26-28 de glossolalis, v. 29-33 de prophetis, 33b-36 de mulieribus.

Fideles optime sciebant adesse Sp. sanctum in ipso glossolalo (Act. 10, 44-46), ex qua praesentia iam generale solamen accipiebant: haec utilitas generalis semper habebatur, etiam deficiente interpretatione.

Ad c): Indirecte et secundario glossolaliam esse utilem ipsi individuo recipienti, expresse asserit Paulus, 1 Cor. 14, 4; ὁ λαλῶν γλῶσση ἑαυτὸν οἰκοδομεῖ "qui loquitur linguam seipsum aedificat"; et v. 17, οὐ μὲν γὰρ καλῶς εὐχαριστεῖς, "tu quidem bene gratias agis".

Tamen si ipse glossolalus, quae dicit, non intelligit, tunc πνεῦμα, *affectus*, pars affectiva animae, *utique aedificatur*; νοῦς autem, *mens*, *pars intellectiva* hominis *nullum fructum accipit*, ἀκαρπὸς ἐστίν, v. 14 (19).

Ergo, sicut caetera charismata, *glossolalia erat pro fidelibus manifestatio et signum praesentiae Sp. sancti, directe ad utilitatem Communitatis fide-  
lium, secundario ipsius individui recipientis.*

Recte Cornely (20) dicit: "Manifestatio Spiritus (ἡ φανέρωσις τοῦ Πνεύματος) est illud quo Spiritus sese manifestat, i. e. *idem quod charisma*;... *cuius manifestationis finis est τὸ συμφέρον, utilitas non eius utique cui charisma confertur... sed aliorum vel potius totius Ecclesiae*". Sed P. Fonck, op. c. confundit inter obiectum charismatum eorumque finem: c. 837 "*Finis* (igitur) *omnium illorum donorum est imprimis manifestare Spiritum, utique Spiritum Dei in singulis fidelibus operantem* (cf. v. 3 [1 Cor. 13, v. 3]). Hunc scopum proximum largitionis charismatum indicant ipsa Ioëlis praenuntiatio et promissio Chti. Domini, hunc exempla in Actibus relata confirmant. Eundem Patres saepe declarant..." Et citat Chrys., IN 1 COR. HOM. 29; A<sup>ter</sup>, Aug. IN PS. 130, 5; 147, 19, etc.; Oecum., Theophilactum...

Sed Patres isti agunt non de scopo, sed de re ipsa glossolaliae. Res praenuntiata a Joële, sc. effusio Sp. sancti, debet differre a scopo ipsius rei. Prosequitur: "Porro manifestatio illa Spiritus, secundum S. Paulum dirigitur ad utilitatem... illorum quibus fit, i. e. totius Ecclesiae." Et c. 854, de scopo glossolaliae: "Finis vero huius doni... erat idem atque in aliis charismatis, *ut sit signum manifestativum praesentiae Sp. sancti, ad utilitatem Ecclesiae...*"

(19) Hunc esse sensum vocum πνεῦμα et νοῦς in hoc loco admittunt quamplurimi exegetae: GRIMM, *Lexicon* h. v. — L. FONCK, op. c. — CORNELY, *Comm. in 1 Cor.* h. l.

(20) Op. cit. in 12, 7; 2 ed., p. 366.



Sed quisnam est praecise scopus? *manifestare Spiritum vel utilitas Ecclesiae?* Si primum, ut scribit *P. Fonck*, tunc in quo consistet obiectum et res ipsa glossolaliae?

## VII) QUID ERAT PRO INFIDELIBUS?

Haec quaestio ex praecedente fit iam oportuna; insuper eam expresse tangit Paulus, 1 Cor. 14, 22: "*Itaque linguae in signum sunt non fidelibus, sed infidelibus; propheta [Vg. prophetiae] autem non infidelibus sed fidelibus.*"

Quae verba, quo ad glossolalam, diversimode a Patribus et veteribus scriptoribus sunt intellecta: 1) plures admittunt esse ad *stuporem, confusio-nem* infidelium; 2) alii autem in eorum *correptionem et poenam*; 3) tandem non pauci ad illorum conversionem. Unde ex traditione nihil certi erui potest. (Cf. Conclusionem Partis prioris.)

Liceat ergo rem fusius agere, et si fieri possit definire.

A. Phrasis "*εἰς σημεῖον εἶναι, esse in signum*", nullibi in S. Scriptura sumitur in malum sensum, seu ex parte Dei numquam prae se fert intentionem mere punitivam; e contra, *est gravis admonitio ad conversionem hominis*, ergo ad eius bonum.

a) In LXX "*esse in (εἰς, ἐν) signum*" habetur in Gn. 1, 14; 9, 13; 17, 11; Ex. 12, 13; 13, 16; Num. 16, 38; 26, 10; Dt. 6, 8; 11, 18; Ios. 4, 6; Isai. 19, 20; 20, 3; 55, 13; Ezech. 20, 12, 20.

Gn. 1, 14: sol et luna exstant ut indicent tempora.

—9, 13: arcus coeli est *signum* foederis Dei cum hominibus.

—17, 11: circumcisio est *signum*, foederis Dei cum Abraham.

Ex. 12, 13: in exitu ab Aegypto, iudaei liniant sanguine agni portas domus, qui sanguis erit *signum*, quo viso, Angelus Exterminii eis non nocebit.

—13, 16: primogeniti Israel sacri erant Domino, in *signum* commemorativum occisionis primogenitorum Aegypti.

Num. 16, 38: Thuribula a Core adhibita, in laminas conflata, locantur in altari in *signum*, quo sibi caveant Israëlitae a munere sacro usurpando.

—26, 10: idem dicitur de punitione ipsa.

Dt. 6, 8: mandata Dei appendantur in manu in *signum*, scilicet ut in memoriam revocentur. Sic et in 11, 18.

Jos. 4, 6: In Jordane collocantur 12 lapides in *signum*, sc. memoriam transitus Jordanis sicco pede, ut dicitur vv. seq.

Isai. 19, 20: in medio Aegypti erit altare in *signum* Dno., sc. monumentum in honorem Jahve, sec. contextum.

—20, 3: nudus et discalceatus incedit propheta in *signum*, i. e. symbolum eorum qui captivi ducentur in terram Aegypti et Chus.

—55, 13: impletio salutis promissae erit pro Dno. *in signum* et nomen aeternum, i. e. monumentum perenne suae bonitatis.

Ezech. 20, 12: Deus dedit Israëlitis sabbata *in signum*, sc. ut sequitur in textu, in argumentum “quia sum Jahve sanctificans eos.”

Ergo: in his locis sumitur: 1) ut *memoriale*, Ex. 13, 16; Dt. 6, 8; 11, 18; Ios. 4, 6; 2) *signum materiale quo, in genere aliquid indicatur*: Gn. 1, 14; 9, 13; 17, 11; Ex. 12, 13; Isai. 19, 20; vel simpliciter ut argumentum, Ezech. 20, 12; 3) *ut signum quo quis monetur ut sibi caveat*: Num. 16, 38; 26, 10; Isai. 20, 3.

b) In LXX “*esse signum alicui*” (quod praecedenti affine est), habetur in Ex. 3, 12; 13, 9; 1 Sam. 2, 34; 10, 2; 14, 10; 2 Reg. 19, 29; Isai. 37, 30; 38, 7; Ier. 51, 29; Ezech. 4, 3.

Ex. 3, 12: *signum* in argumentum divinae missionis, Moses sacrificabit in monte Horeb; 13, 9, idem ac 13, 16, de quo supra, ad a).

1 Sam. 2, 34: mors filiorum Heli eodem die, erit ei *signum*, argumentum veritatis minarum Dei de casu domus Heli.; 10, 2 [Vg. v. 1]: *in signum* seu argumentum quo vera habeatur Saulis unctio, inveniet duos viros...; 14, 10, item pro argumento.

2 Reg. 19, 29, et loc. par. Isai. 37, 30, pro argumento; sic et Isai. 38, 7.

Ier. 51, 29 [Vg. 44, 29], pro argumento, demonstratione.

Ezech. 4, 3: symbolum et representatio sortis Israëlis.

Ergo, praeter hunc locum Ezech. ubi aequipollet *symbolo*, in omnibus aliis textibus aequivalet *argumento*, quo res aliqua vera esse demonstratur.

In LXX, ergo, nullimode phrasis “*esse in signum* (alicui)” sumitur in malum sensum; praeter textus qui de rebus materialibus agunt, in omnibus aliis est: 1) *argumentum* quo verum aliquid esse probatur; 2) *symbolum* propheticum; 3) *gravis admonitio a Deo qua quis iubetur ut sibi caveat*, aut ne ita vel ita agat.

c) In N. T.: praeter 1 Cor. 14, 22, habetur phrasis “*esse in signum*” in Lc. 2, 34; et “*esse signum alicui*” in Lc. 2, 12; 11, 29-30 (l. par. Mt. 12, 38-41; 16, 1-4; Mc. 8, 12).

Lc. 2, 12: Angelus ut pastores certos reddat de veritate nuntiatae Nativitatis Chti, dat eis *signum*: “invenietis Infantem positum in praesepio...”

Lc. 2, 34: οὗτος (Ἰησοῦς) κείται... εἰς σημεῖον ἀντιλεγόμενον “hic (Iesus) positus est... in signum contradictionis”. Ut in textu praecedit, Christus erit pro aliis quidem *in ruinam*, pro aliis vero *in resurrectionem*, seu salutem. Cum Iesus, Salvator omnium datus sit, absque dubio non ex sua causa erit “aliquibus in ruinam”, sed ex dispositionibus moralibus uniuscuiusque id eveniet, sc. qui in Eum *offendent* peribunt, qui Eum accipient salutem consequentur. *De facto, non ex intentione divina*, erit occasio ruinae; quod innuit seq. v. 35

“...ut revelentur ex multis cordibus cogitationes”, ut patefiat quid in uniuscuiusque corde lateat (21).

—II, 29-30: sicut Ionas pro Ninivitis fuit *signum* a Deo datum ad eorum conversionem, si perire nollent; sic Iesus pro eius coevis: in utraque casu *signum* datur in bonum sc. ut convertantur. *De facto* effectus fuit diversus: ninivitae salvi facti sunt quia ad *signum* attenderunt; iudaei e contra peribunt quia *signum* reiciunt. (Mattaeus insistit in facto speciali vitae Ionae, in eius mansione tridua in ventre piscis, sicut Christus erit triduo in sepulcro). Ergo Lc. 2, 12, *signum* est argumentum veritatis rei nuntiatae; Lc. 2, 34 et II, 29-30 est *signum* “quo homines Deus graviter admonet, iisque indicat quid ad iis fieri velit” (22), quodque reicientes pereunt, accipientes salvi fiunt.

ERGO NULLIBI IN S. SCRIPTURA PHRASIS “esse in signum (alicui)” SUMITUR IN MALUM SENSUM, SED IN BONUM, SC. AD CONVERSIONEM EORUM QUIBUS SIGNUM DATUR (23).

B. DE IPSA SENTENTIA PAULINA “LINGVAE IN SIGNUM NON FIDELIBUS SED INFIDELIBUS” I COR. 14, 22.

Paulus monet Corinthios (ib. v. 20), ne veluti pueri, seducti specie externa et maiorem admirationem provocante, tanti faciant glossolaliam, cum reapse non directe pro ipsis sed pro adhuc incredulis datae sint linguae: quod probat citatione Isaias 28, 11-(12). De qua aliqua sunt dicenda (24).

Paulus citat textum iuxta hebraicum; nam in LXX vix clarus sensus exhibetur (25). Hebraicus ad litteram: “<sup>11</sup> quia per balbutientes labiis et per linguam aliam loquetur [Iahve] populo huic: <sup>12</sup> cui dixerat Deus: hae est requies, requiem date lasso, et haec refectio; et noluerunt audire”. Paulus vero: ἐπι ἐν ἑτερογλώσσοις καὶ ἐν χεῖλεσιν ἑτέρων λαλήσω τῷ λαῷ τούτῳ, καὶ οὐδ’ οὐτως εἰσακούσονται μου, λέγει κύριος. Quod Isaias dicit in tertia persona, de Iahve, posuit Paulus in ore ipsius Iahve; ultima verba “nec sic exaudient me”, deficiunt in textu hebraico; quod hic dicit “et noluerunt audire” refertur in praeteritum et indicant quare Iahve adducet novum *signum* in iudaeos incredulos. Paulus exprimit effectum revera consecuturum, licet in heb. non notatum: ergo solum v. 11 citat non 12. Hebr. בְּבִלְבִּילִים = *balbutiens*; addito

(21) Hic duplex et contrarius effectus missionis divinae, independens ab intentione agentis, habetur etiam in 2 Cor. 2, 15-16, ubi Paulus de seipso dicit: “...Christi bonus odor sumus Deo iis qui salvi fiunt, et in iis qui pereunt: aliis quidem odor mortis in mortem: aliis autem odor vitae in vitam”.

(22) GRIMM, *Lexicon* etc. voce σημεῖον.

(23) Exceptis, ut patet, locis ubi de re mere naturali agitur, vg. Gn. 1, 14, etc.; ibi non est sermo de salute vel ruina hominum.

(24) Cf. KNABENBAUER, *Comm. in Isai.*, v. I, p. 506-8, Parisiis, 1887.

(25) In LXX, v. 11 dicit: διὰ φαυλισμὸν χειλέων, διὰ γλώσσης ἑτέρας: ὅτι λαλήσουσιν τῷ λαῷ τούτῳ <sup>12</sup> λέγοντες αὐτοῖς etc. Sumunt בְּבִלְבִּילִים, in sensu secundario ἰρῆσι (φαυλισμός); postea illud בְּבִלְבִּילִים (ἔτι), quo in hebr. v. 11, nectunt LXX cum 2<sup>o</sup> membro versus, unde sensus pervertitur.

ΠΡΩΨ = *barbare, peregrine loquens*; recte Paulus vertit ἑτερογλώσσοις; χείλεσιν ἑτέρων pro heb. תַּרְגּוּם יְשׁוּבָא in *lingua alia, aliena*. Ibi Isaias, iudaeis verba eius irradientibus more ebriorum, nuntiat Deum aliter locuturum fore sc. per Assyrios, alia ac iudaei lingua utentes. “*Nec sic exaudient me*”, i. e.: postquam varia tentavit Iahve quo iudaeos ad se converteret, ultimum *signum* eis offert: quod tamen, sicut et praeterita respuent iudaei. Invasio ipsa assyriaca erat in intentione divina novum tentamen ad reducendos iudaeos ad veram religionem. Nihil aliud intendit Apostolus probare, ut patet ex verbis in ore Iahve positis “*nec sic exaudient me*” quibus Paulus et effectum revera futurum exprimit, et scopum a Dno. intentum. Prosequitur Paulus: “*quocirca, ὥστε, linguae in signum sunt non credentibus sed incredulis; prophetia autem non incredulis, sed credentibus*. Scilicet “*sunt in signum*” sensu quo loquitur Isaias: *novum tentamen ad fidem incredulos reducendi: quo non indigent qui ad eam iam pervenerunt*.

Quod probant aliae rationes contextus:

1) in hoc v. 22 habetur parallelismus antitheticus; *signum* in primo membro est expressum, in secundo necessario subintelligitur (26). Iam vero lex generalis parallelismi, iuxta omnes, vetat quominus eadem vox in diverso membro diverse accipiatur; alioquin ruit fundamentum et ratio parallelismi. In 2° autem autem membro dicti v. 22 “*prophetia (est signum) pro fidelibus*”, nemo quantum scio in malum sensum, seu poenam fidelium, interpretatus est; et contradiceret Paulo (ib. 14, 3, 4, 31), et innumeris aliis locis S. Scripturae, ubi de prophetis missis a Dno. ad reducendos peccatores in viam salutis; ergo, vi parallelismi, etiam in 1° membro *signum* debet sumi in bonum sensum.

2) Nonnulli veteres scriptores videntur admisisse scopum punitivum, quia nectunt ad v. 22, vv. 23-25 tamquam corollarium citationis Isaiiae, et ampliorem explicationem ipsius v. 22; quod an sit recte factum valde dubitō, imo nego: a) imprimis vv. 20-22 sunt per se independentes; v. 23 nectitur ad v. 19 (et antecedentes), i. e. ad illam seriem obstaculorum quae possunt contingere in usu glossolaliae in publico coetu fidelium; quae series incipit iam a v. 6, et usque ad finem capitis protrahitur: ἐάν v. 6, 7, 8, 9, 11, 14, 16, 23, 26, ὅταν, 27 εἴτε, 28 ἐάν, 30 ἐάν, εἰ 35, 37, 38. b) particula οὖν v. 23, non est necessaria deductio ex v. 20-22, sed prosecutio totius argumentationis (inserit tamen ἀπίστους, ob v. 22); sic in v. 11 ἐάν οὖν, est deductio non ex v. 10, sed totius pericopae, saltem a v. 7. c) vox ἰδιώτης indicat haberi prae oculis v. 16. d) Sed neque potest v. 23 esse conclusionem v. 20-22; in textu citato Isaiiae, propheta *quia iudaei eum irridebant*, nuntiat eis novum *signum* glossolaliae; hic vero Paulus deduceret *infideles irrisuros*

(26) CORNELY, *op. cit.* h. l.

*ipsi glossolaliae*; iterum deduceret (in theoria contraria debet admitti) ex Isaia glossolalam non profuturam conversioni infidelium, sed utique prophetiam (v 24-25): sed in Isaia contrario res se habet: *quia non profuit prophetia, promittitur glossolalia*. e) melius fluit contextus si sumatur de simplici prosecutione comparationis inter prophetiam et glossolalam ut in toto capite. f) Etsi necteretur v. 23 ad v. 20-22, tamen defensores huius sententiae nequeunt deducere scopum generalem glossolaliae ut in poenam infidelium: attendi oportuit ibi Paulum supponere gradum infimum glossolaliae, sc. quando non intelligitur nec adest interpres, et tota communitas linguis loquatur: cui opponit gradum eminentiorem prophetiae, nempe vim suadendi et convincendi ipsos incredulos eorumque cordium occulta dignoscendi.

Ergo, videtur demonstratum, ex aliis locis S. Scripturae ubi occurrit phrasis "esse in signum", et ex ipso I Cor. 14, 22, cum contextu collato: glossolalam datam fuisse in bonum infidelium, ad eorum conversionem.

Ideo omnino adscribo sententia *Zorell* (27): "infidelibus glossolalia fuit signum quo potuerunt veritatem religionis christianae cognoscere, I Cor. 14, 22"; et his quae dicit *Grimm* (28): "signum quo aliquis monetur ut sibi caveat (Warnungszeichen), I Cor. 14, 22... dicitur de insignibus personis per quas Deus homines quosdam graviter admonet iisque indicat, quid ab iis fieri velit; ita σημεῖον ἀντιλεγόμενον de Iesu Christo, Lc. 2, 34; Ἰῶνας ἐγένετο σ. Νινευίταις (Ion. 3, 4), Lc. 11, 30".

## VIII) SYMBOLICA DONI LINGUARUM SIGNIFICATIO

### a) *Pentecostes opponitur Babeli.*

Scriptura nihil dicit de hac relatione glossolaliae christianae ad confusionem linguarum in Babel (Gen. 11, 1-9) nec Lc. nec Paulus ei alludunt; unde dicenda est interpretatio mere patristica. Si ulterius inquiras unde orta sit huiusmodi interpretatio, tibi respondeo: absque dubio ex simplici comparatione utriusque facti, *confusionis* linguarum in Babel, et earum *unionis* in Coenaculo: in quibus iam primo intuitu apparent variae notae oppositionis:

Gn. 11, 1-9

Act. 2 (et l. par.)

1) Civitas unius labii in plures linguas dividitur.

1) Variarum linguarum in uno ore sonant.

2) Causa divisionis et dispersionis populorum.

2) Symbolum unitatis gentium in Christo.

(27) *Lexicon*... voce σημεῖον.

(28) Item *Lexicon* ad h. v.

- |                            |   |
|----------------------------|---|
| 3) Superbia id effecit.    | 3) Humilibus discipulis concessum fuit. |
| 4) In poenam induxit Deus. | 4) Deus in bonum eis praebeuit.         |

Sic plus minus: *Orig., Chrys., Creg. Naz., Cyr. Alex., Philast., Aug., Prosp. Aquit., Max. Taur., Cassiod., Greg. Mag., Beda, Haymo Halbers., Thomas, Lyr.*

b) Aliqui Patres, contra schismaticos agentes, maxime urgent illam secundam notam, sc. *significationis symbolicae unitatis omnium gentium in Ecclesia Christi*; praesertim *Aug.* contra donatistas scribens. Cf. Priorem Partem, n° 19.

Reapse tale prodigium prae se fert sensum *universitatis* simul et *unitatis*; *variae linguae* quibus utitur turba coadunata *ex omni gente quae sub coelo est, infusae ab uno Spiritu, conspirant in ore uno ad Dei magnalia celebranda.*

Etsi textus sacer taceat de hac relatione Babelis et Pentecostes, neque agatur de "rebus fidei et morum": tamen haec interpretatio Patrum non ut mera accommodatio habenda est, sed explicatio obvia fundata non in verbis expressis sed in ipso facto.

## IX) ALIQUA NOTAE PSYCHOLOGICAE

S. Paulus, 1 Cor. 14, 14 scribit: *ἐὰν γὰρ προσεύχομαι γλώσση, τὸ πνεῦμά μου προσεύχεται, ὁ δὲ νοῦς μου ἀκαρπὸς ἐστίν*: "nam si orem lingua, spiritus meus orat, mens autem mea sine fructu est".

Voce *πνεύματος* significari partem affectivam hominis, per *νοῦν* vero intellectivam, admittunt auctores (Cf. supra, ad q. VI, p. 15).

Ex quo sequitur orationem glossolali fieri in statu ecstaseos, et ipsum non intelligere, absque dono interpretationis, sensum verborum quae proferbat (29); ideo eum monet Paulus ut hoc donum interpretandi postulet (ib. 14, 13). Sed ex hoc non licet inferre glossolalum amisisse omnimodam sui ipsius conscientiam, et quasi caeco instinctu impelli; nam Paulus ei leges dat, quae necessario supponunt glossolalum et libere incipere loqui, et ad libitum posse non loqui (ib. 14, 27-28); et Petrus (Act. 2, 15 sq.) clare apparet conscius et eorum quae in glossolalia fuerant dicta, et eorum quae ab irrisoribus obiiciebantur.

(29) Recte AMBROSIASTER (Cf. P. Priorem, n° 17), de oratione glossolali, in 1 Cor. 14, 14: "...manifestum est ignorare animum nostrum, si linguam loquatur quam nescit: sicut adsolent Latini homines graece cantare, oblectati sono verborum, nescientes tamen quid dicant".

Quare tamen ebrios eos reputabant, Act. 2, 13, et Paulus praedicat eos certis in casibus ut insanos habendos fore, 1 Cor. 14, 23? Quia irrisores illi audiebant glossolalum proferentem verba quae ipsi non intelligebant. Hoc in secundo casu certum est; nam Paulus in dicto cap. 14, supponit glossolalum, ex se, non intelligi; et in primo casu potest admitti ut explicatio magis obvia et sufficiens: i. e. non occurrisset eis glossolalum qui illorum lingua loqueretur. Insuper, etsi textus id non dicat, potest admitti glossolalum comitare orationem suam gestis vividis, ut solent adhiberi in his casibus, quando nempe, pars affectiva hominis gravem influxum subit; et pars intellectiva vel conscientia reflexa aliquantulum suspenditur; nulla tamen ratione asseretur eos fuisse tamquam spiritu pythonico convulsos.

Cum glossolalia hanc speciem externam, admirationem provocantem prae se ferret, imperfecti fideles Corinthi eam inordinate appetebant, 1 Cor. 14, 20 sq.; quos edocens Paulus, monet ea dona esse praeferenda quae aut ipsi individuo (c. 13, *laus charitatis*), aut ipsi Communitati (c. 14, *excellencia prophetiae prae glossolalia*), magis prodesse possunt.

#### CONCLUSIO HUIUS PARTIS: DEFINITIO GLOSSOLALIAE

Ex s. textu meo iudicio eruitur:

Substantialiter identicum phaenomenon glossolaliae haberi in 1 Act. 2 (cum 11. par.) et 1 Cor. 12-14 (cf. q. I), et hoc donum Sp. sancti (q. V) in eo esse, quod *illud recipiens, diversis linguis peregrinis, antea sibi ignotis* (q. II) *Deum laudaret* (q. IV) *oratione ecstasica* (q. IX) *alta voce prolata* (q. II, B): *ex quo charismate fideles noverant praesentiam Sp. sancti* (q. VI), *et infideles cognoscere poterant veritatem religionis christianae* (q. VII).

#### SIT ERGO CONCLUSIO UNIVERSAE THESEOS

Ex textibus biblicis allatis, consentiente in genere vetere interpretatione eruitur quoad glossolaliam:

1) In Act. 2 (1. par.) et 1 Cor. 12-14 agitur de phaenomeno glossolaliae substantialiter identico (Cf. P. I, conclusionem, n° 2; P. II, q. I).

2) Glossolali locuti sunt linguis peregrinis proprie dictis (P. I, conclus. n° 1; P. II, q. II).

3) Fuit prodigium oris, non auditus (P. I, concl. n° 3; P. II, q. III).

4) Glossolalia non fuit praedicatio, sed oratio ad Deum (P. II, q. IV).

5) Erat donum Dei supernaturale (P. I, n° 5; P. II, q. V).

6) Erat signum praesentiae Sp. sancti; ex quo fideles solatium accipie-

bant; insuper accedente interpretatione aedificabantur velut ex prophetia (P. I, n° 6; P. II, q. VI).

7) Pro infidelibus erat signum quo cognoscere poterant veritatem religionis Christianae (P. II, q. VII).

Si asserta 2-3 vera sunt, sequitur ulterius:

8) Audientes semper et solum intelligebant quando glossolalus eorum lingua vel alia eis aliunde nota, loquebatur vel aliquis eis interpretabatur: quia sc. non fuit prodigium auditus, et agebatur de linguis peregrinis.

9) Proinde glossolalus adhibebat linguas novas (Mc. 16, 17) relative ad ipsum, non absolute; sed linguas revera tunc temporis existentes.

10) Glossolalus unica lingua simultanee, pluribus tamen successive loqui poterat "prout Sp. sanctus dabat eloqui ei". Nequit aliter fieri.

11) Caetera, e. g. significatio symbolica doni linguarum, status psychologicus glossolali sunt potius disputabilia et hypothetica: deficiunt enim textus ad rem definiendam.

Scribebam die 30 Martii 1924, pro Lectoratu obtinendo.